



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VI. Proponitur quæstio secunda, quæ est de descensu ad inferos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)


nolle, sed vt ostendat affectum naturalem suæ voluntatis, ad fugiendam mortem, coniunctum cum omni subiectione ad paternam voluntatem. Est enim ac si diceret, Volo vt nō fiat quod volo, id est, volo voluntate deliberata, quæ respicit obiectum cum omnibus circumstantiis, vt non fiat id quod ego volo voluntate naturali, quæ refertur in obiectum secundum se tantum consideratum. Neque sunt contrariæ hæ voluntates, nam non sunt circa idem eodem modo consideratum. Et præterea vna est potius velleitas, quàm voluntas.

DICES, quare Christus orando voluit exprimere illam voluntatem naturalem, quam sciebat non implendam? RESPONDEO cum Chryostomo in hunc locum, vt ostenderet se esse verum hominem, & verè doluisse, ac passum, & mortuum esse. Si enim cum tam sæpe expresserit naturales affectus, adhuc plurimi fuerunt heretici negantes Christi veram carnem & passionem, quid fieret si nullum talem affectum ostendisset?

Præterea voluit hoc exprimere, vt doceret nos non ægrè ferre cum nō impetramus à Deo id quod petimus: Christus enim in hac oratione partim fuit auditus, partim non auditus. Auditus fuit in eo, quod absolutè petebat, iuxta illud Ioan. II. *Sciebam quia semper me audis*. Non fuit autem auditus in eo quod petiit ex naturali affectu, iuxta illud Psalm. 21. *Clamabo per diem, & non exaudies*.

CAPVT VI.

Proponitur questio secunda, qua est de descensu ad inferos.

 VABRITVR II. An & quomodo Christus ad inferos descenderit. Ac primùm omnes conveniunt, quòd Christus aliquo modo ad inferos descenderit. Nam & Scripturæ passim hoc docent, vt Actor. 2. *Non derelinques animam meam in inferno*. Et Ephes. 4. *Descendit ad inferiores partes terra*. Et præterea in Symbolo Apostolico legimus: *Descendit ad inferos*.

Est autem obseruandum, hanc particulam olim non fuisse in Symbolo apud omnes Ecclesias. Nam Irenaeus lib. 1. cap. 2. Origenes initio librorum *περὶ ἀρχῶν*, id est de principiis, & Tertullianus initio librorum contra Praxeam, & libro de uelendis virginibus, explicant regulam fidei ab apostolis traditam, & non meminerunt huius particulae, sed a sepultura transeunt ad Resurrectionem. Item Augustinus in libro de Fide & Symbolo, & quatuor libris de Symbolo Catechumenos, non meminit huius partis, cum totum symbolum quinque exponat.

RUFFINVS in explicatione legit & explicat hanc particulam, sed monet, non haberi in Symbolo Romanae Ecclesiae, nec apud Orientales, tamen implicite contineri in articulo de sepultura, quia sicut corpus descendit ad locum corporum, ita anima ad locum animarum. Porro CRISTIVS catech. 4. & 14. & Chrysostomus homil. 1. de Symbolo, legunt, & exponunt hanc particulam, & hoc tempus habetur ubique. Et ita etiam legunt Catechismus Laurentii maior & minor, item Catechismus Caluini, Brentii & aliorum. Ita quoque legunt CENTURIATORES in libro 2. cap. 4. & Petrus Martyr in libello de Symbolo. CALVINVS lib. 2. Institut. cap. 16. § 8. dicit hunc articulum in praecipuis habendum esse.

Pari ratione in Symbolo Nicæno haec particula non habetur; in Symbolo Athanasij habetur, & cum haec Symbola inter se non pugnent, certum est, saltem implicite hanc particulam deesse non posse. Vnde ANSELMVS in libro de processione Spiritus sancti, dicit, hunc articulum non esse in Symbolo Nicæno, & tamen recipi summo consensu ab omnibus Ecclesiis Orientis & Occidentis.

At quaestio tota est de explicatione huius articuli. Quatuor autem inuenio expositiones aduersariorum, de quibus ordine disputandum est.

—§—